PRAESUL COENOBITICUS SUBDITORUM SIT MEDICUS ORATIO PARÆNETICA...

Tommaso Maria Minorelli

Digitized by Google

Digitized by Google

10462.8

A

XXXII
MINOR.

1042 · 8

PRÆSVL COENOBITICVS
Subditorum ſit Medicus

ORATIO PARÆNETICA

HABITA VENETIIS

Octavo Idus Maij

IN COMITIIS PROVINCIALIBUS

PROVINCIÆ S. DOMINICI VENETIARVM

Ord. Præd.

IN ÆDE SS. JOANNIS, ET PAULI

A F. THOMA MARIA MINORELLI PATAVINO

Eiuſdem Ordinis

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORE.

Illuſtriſſimis, atq; Excellentiſſimis D. D.

SILVESTRO VALERIO

EQVITI, ac D. MARCI PROCVR.

HIERONYMO ASCANIO

IVSTINIANO,

FEDERICO MARCELLO

SENATORIBVS AMPLISSIMIS,

Ac Patavini Archi-Lycei Moderatoribus vigilantiſſimis

DICATA.

Venetijs ex Officinâ Andreæ Poleti.

CIↃ IↃ C LXXXVIII.

DE SVPERIORVM LICENTIA.

1042 8

Illuſtriſs., atque Excellentiſs. D. D.

SYLVESTRO VALERIO
EQV., AC D. MARCI PROC.

HIERONYMO ASCANIO
IVSTINIANO,

FEDERICO MARCELLO
SENATORIBVS AMPLISSIMIS,

Ac Patavini Archi-Lycei Moderatoribus vigilantiſſimis.

Fr. Thomas Maria Minorelli Patav. Ord. Præd.
F. P. D.

MIrabimini profectò, Senatores præſtantiſsimi, adeò perfricta fronte auſum me fuiſſe Vos interpellare, quaſi veſtram ignorem magnitudinem, qua vel diſertiſsimos deterrens meum iſtud factum cum temeritate coniunctum

Digitized by Google

oſtendit. Et quidem ne in veſtra ſplendidiſſima nomina effrons involarem, meæ tenuitatis conſcientia commonebar. Quid enim Aſcetica Oratio nullis ornamentis compta cum illis, quorum aures grandia ſummorum Oratorum ſolent excipere, quorum mentes non-niſi, quæ ad Rei-publicæ gubernationem conferunt, curas agitant? Ergone lectiſsimos inter Venetos Proceres, in quorum manibus ſita eſt Reipublicæ potior cura, tam audacter à graviſsimis, quibus occupantur, negotijs avocabis? Nulla te religio tenet in tanto faſtigio poſitos tuis nugis intempeſtivè morari, remque populi, ac litterarum tractantibus, quaſi operum vacuis importunè interſtrepere. Præterquamquod ſic te, curtamque tuam dicendi ſupellectilem ignoras, ut quod

Iuv. Sat. 2.v.27.

E Cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτόν
Figendum, & memori tractandum pectore.

animo tu nunquam verſaveris? Te, quæſo, conſule: dic tibi quis ſis. Ne tuam extra pelliculam exeas: tecum habita, & noris quàm tenuis tibi ſit facundia, quæ collata cum tot Eruditorum lucubrationibus præſidium, & decus à tam eximijs Venetæ Rei-publicæ Summatibus ſibi quærentium, tantùm ab illis diſtat, quantùm obſtreperi Cornicum garritus à ſuavibus Olorum concentibus recedunt. Hæc animus ſubtimidus, veſtraque maieſtate perterre-

ſactus

factus ut à propoſito hanc Vobis nuncupandi Orationem dimoveret, ſuggerebat. Et planè tot rationibus, quas perpendens veras agnoveram, victus longè aliâ mecum cœperam volvere; cùm tacita quadam cogitatio veſtram, qua litteratos quoſque complectimini, ab oculos humanitatem ponens, ut hæc vel exigua vobis offerrem, perſuaſit. Qua de re, ne munuſculi tenuitatem excuſem, veſter in litteratos benignus favor in cauſſa eſt, cui procul dubio iniurius eſſem, ſi de veſtra dubitarem humanitate, quæ ſervare terminos ignorat. Caſſiod. l. 4. Var. Ep.28. E re virorum principum id potiſsimum arbitror, quoniam ad dignitatum culmen evectis una facilitas ad ingenia fovenda ſplendorem addit. Hoc ſummi viri habent magnificum, & ingens, quod nulla dies rapiat, comitate benemereri de aliJs. Proinde quamvis me non lateat, Aſcetis hæc conſcripta, non Vobis, qui altioribus prudentiæ, ſapientiæque præceptis inſtructi Rempublicam geritis; tamen veſtra, ac Rei-publicæ interdum intereſſe puto, hæc etiam facili obtutu dignari: ſic enim litteris exiſtimatio adijcitur, eaſque colentibus maiora tentandi animus additur. Veſtra ideò ampliſsima nomina huic meæ rudi lucubrationi obtendi, ut illi decus, quod Auctoris inopia tribuere nequit, conciliem, utq; illa exporrecta fronte, ut ſpero, à Vobis excepta, ad cultioris e-

lo-

loquentiæ maieſtatem alacriùs enitar. Sat mihi eſt nunc oſtendere, quantum ingeniolum hæc præmittens valeat, potiora aggreſſurum, ſi hæc veſtræ licet ſummæ dignitati longè imparia, Vobis haud ingrata erunt, quod unum in optatis. Nec me pœnitet voti ambitioſi, quia patrocinium, quàm merear, altius quæritem, nimium fortaſſe imprudenter meæ conditionis oblitus. Quod probro quidam nimis rigidi vertent, mihi gloriæ duco. Culpent alij auſum, nil moror. Summa petere, animum haudquaquam demiſſum arguit. Nam celſos curſus niſi confidentia magna non appetit, dum generoſi eſt animi optare quod ſummum eſt. *Quid inſimuler, quòd ornamenta, quibus carere Orationem, Auctoremque haud inficior, à præſidio tam decoro mendicem? Num culpandus qui egeſtate preſſus auxilium ſibi paraturus, divitijs affluentium opem imploret? Natura, ne dum conſuetudo id iubet. Nil igitur mirum, Senatores ampliſſimi, ſi mihi nulla famæ claro, nulloque decore conſpicuo, veſtris ſaltem auſpicijs, quibus hanc meam tueamini, & ornetis opellam, honorem conferre tentem. Ad Vos confugi, qui abundè id præſtare poteſtis, Heroës ut omnibus virtutibus, ita humanitatis quoque laudibus inſtructiſſimi, veſtris meritis, non ludentis fortunæ beneficio magni, quorum commemoratis nominibus lectiſſi-*

Caſſiod. l. 2. Var. Ep. 2.

mæ

mæ nobilitatis conſummatio audientium animis oboritur. Quid enim aliud eſtis, quam ex omni virtutum ornamento collecta perfectio, quam ita in Patriæ auguſtæ, & commune bonum, litterarumque ſubſidium exſeritis, ut boni quique vos ament, admirentur omnes, paſſimque cuncti ſuſpiciant ſingularem veſtram in ſummis dignitatibus modeſtiam, in conſilijs ineundis prudentiam, in exequendis vigilantiam, in congreſſibus publicis maieſtatem, in privatis lenitatem, inque moribus ſuavitatem eximiam, rebuſque magnis parem dexteritatem? Quæ cum ita ſint, admittetis, ut confido, hanc meam Orationem in tam auguſtum ſacrarium: admittetis cultus humillimi ſymbolam, quam benignitas veſtra dignam poſteritate faciet. In eo nanque felicitas, & fama ſita eſt Orationis, ut Vobis placeat. Si annuetis, placebit & alijs, ſi meo minus ingenio, veſtris illi præfixis nominibus. Sic quæ aliter oblivionis velut tenebris conſepulta, & involuta iaceret, quam nec Anna Perenna ab ignoratione vindicaret, nunquam intercidet, per Vos dies omni ævo diuturniores victura. Valete.

Digitized by Google

PRÆSVL COENOBITICVS

Subditorum ſit Medicus.

Oratio Parænetica;

CVicunque naſci contingit, cum morbis corporis, vitijs animi colluctatio indicitur. Eâ lege vitæ limen ingredimur, ut utriſque obnoxij neceſſitatem cum acerrimis hoſtibus confligendi naſcendo ſortiamur. Ea eſt, quâ totus propè Orbis inficitur, quâ mortalium corpora, & animi fœdè inquinantur, malorum ingentium labes, ut ferè nemo luis tam diræ ſonticas plagas hominum capita populantes, inflictas ſibi non ploret. Neque verò aut incuſanda eſt, ut Noverca, parens Natura, aut culpandus, (ut quidam parùm ſanæ mentis inſipienter blaterant) ipſe Auctor Naturæ Deus, aut implenda cuncta ineptis, nilque profuturis queſtibus, quaſi perperam Deus Orbem regat, Mortaleſque auxilio deſtituti iaceant. Supremus namque Moderator eo ingenio præditum hominem condidit, ut excitare ſe poſſit, illoque ritè utens & ſibi, & alijs ſervandis impiger operam navet. Et quidem quamplures minimè deſides, ut opportunam alijs tot malorum agminibus circumſeſſis opem ferrent, impigrè omni tempore laborârunt. Hinc ut paſſim graſſantibus Morbis occurreretur, tot hominum induſtriâ inventa remedia, quibus ægri vexatam valetudinem reparent, vireſque incolumitate aliquomodo firment. Animis etiam tabificâ vitiorum tentatis lue nullâ non diligentiâ conſultum, vel legibus, quæ naturam in malum pronam pœnis propoſitis compeſcant, præmijſquè exhibitis eandem ab ingenitâ propenſione arcentes ad virtutem amplectendam alliciant, vel Magiſtratuum in vitioſos animadvertentium terrore, vel Sapientum monitis homini quæ ſectanda, quæve fugienda ſuaſioni-

bus aptis præſcribentium. Sed quia etiam non ſatis adhuc hominibus videbatur proviſum, non defuerunt Sancti viri, qui tutiùs illis, quibus curæ propria eſſet ſalus proſpectum volentes, inſtitutis verè præclaris vitam à turbâ ſemotam eoſdem degere docuerunt. Difficile namque viſum inter pravos innocenter vivere. Facilè tranſitur ad plures, nilquè interdum naturam in vitia præcipitem remoratur. Subducto populis tenello animo, rectique parum tenaci non eâ facilitate malignorum comitum eundem paullatim ſuum facientium affricatur rubigo. Familiæ Cœnobiticæ ideò inſtitutæ, in quas adſciti ea dediſcant, quibus paſſim natura corrumpitur, cupiditatum immodicarum hoc vitæ genere impetum frangant, ut ſic illæ exarmatæ careant, quo impoſterum ſæuiant. Sic præclarè cùm jis actum, quibus nil altius cordi hæret, quàm recedere à vitiorum periculis iam tot mortalium exitio infamibus. Sed quamvis tam accuratâ diligentiâ nil non omiſſum, ut vitijs nullus aditus pateat; hæc tamen furtim nonnunquam irrepunt, animoſque non adhuc in recto conſtantes ad priſtinam conſuetudinem revocant: quâ de cauſsâ nonnullos prolabentes in crimina, integritate ſubmotâ, vitata iam contagia commaculant. Ne alios hæc pervadant, tentatique valetudinem reparent, ad Prçſulem Cœnobiticum ſpectat. Id illi omni curâ præſtandum. Quî autem id faciliùs peragi, vitiatiſque animis ſuccurri poſſit, non omnibus eadem mens eſt. Mea eſt ſententia, Cœnobiarchæ obeunda Medici munia, ut eâdem ratione, quâ Medici corporibus morbo languentibus opem medicam adhibent, ille Subditorum animis infeſtâ pravarum affectionum lue divexatis auxilietur. Veſtrâ, Aud., dignum attentione argumentum pertracto, quod dum agito, Vos oro, obteſtorque, ut Oratoris ſi minus boni, at veſtrûm omnium ſtudioſi, faventes linguis, benevolis auribus, ac mentibus verba excipiatis: in quo equidem vos mihi non defuturos confido, qui hac ſpe iam bis compertæ humanitatis veſtræ fretus, animo plus aliquantò complexus ſum abſque ſuſpicione temeritatis, quàm ætas, ingenium, & vires poſtulare, aut ferre videantur.

Ea ferè omnia, quæ noſtra infeſtant corpora, animis etiam quamvis terrenæ fęcis expertibus ex quâdam ſimilitudine moliuntur perniciem, adeò-ut corpus, & animus non multùm inter

ter ſe diſcrepent, ac ob eam cauſsam conſimili medicinâ egeant. Vobis, Aud., ob oculos ponite corpus, cui vis morbida populata medullas properam minetur necem. Tabentes genas macies corrumpens lurido malas colore turpat, ora inceſtat. Cervix gravedine oppreſſa labat, aſpera tuſſis pectus anhelum quatit, introrſus abditi oculi penè latent, crura tremunt, iecur æſtuoſum igne inquieto flagrat, ſcabras fauces torrens ſitis exaſperat, omnes denique dolores agmine facto ruentes ægrum cruciatibus torquent. Adveniat Medicus artem, quâ laborantes levet, optimè callens: ille ſtatim venas percuſſu inæquales explorans, quæ ad ſalutem conferant vel amara, vel dulcia, nullâ ægrotantis palati ratione habitâ, præſcribet. Ægro vel abnuenti cibos, potiones, exercitationeſque noxias interdicet: quæ proſunt & repugnanti vi beneficâ ingeret: quæ obſunt, & invito ſubducet Si hæc præ durioribus alijs mitia ſatis, & mollia non proficiant remedia, non ferro, non igni parcit: *nec ulla dura videtur curatio, cuius ſalutaris effectus eſt.* *Sen.l.1 de I&c.5.*

Quod corpori, idem ſimiliter animo uſuvenire ſolet. Hunc ob inobſequentium primorum parentum lęthalem noxam, labe immerentibus poſteris infusâ deformem, ſenſus priſtinâ exuti ornamenta rebelles facti civicâ ſeditione perturbantes lęthiferâ ſęvitie lancinant. Hoc primi genus exitij, hęc fatalis origo tot ſcelerum. Animo nanque à primævâ dignitate delapſo, naturæ iura omnia temerè violata, nervi omnis virtutis inciſi, Dei penitus, ac perditè proſcriptus metus, rationis quoq; intimus ſtatus labefactatus, atque concuſſus. Hinc datur videre quoſdam vitiorum peſte ægrotantes. Hic fidem, probitatem, cęteraſque virtutes ſuſque deque habens pro his fallaciam, ſuperbiam, nequitiam, & ambitionem amplectitur. Ille pudore abiecto, amicitiam, pudicitiam, & ſinceritatem deſpicit, earum loco ſimultatem, luxuriem, & calliditatem colens. Alius, ut aqualiculum crapulâ diſtendat, abdomini vile mancipium ſervit. Alius libidine inſanit, alius æſtimatione ſui nimiâ. Alius inuidiâ ſemper alienis proceſſibus inimicâ comburitur. Alius per contumaciam in perverſa nititur temeritate præceps, tumore inſolens, cęnosâ perennitate fœdiſſimarum cogitationum exlex. Huiuſmodi ægritudinibus laboranti vulgo ſaniora capita auxiliari neceſſe eſt, non quidem pharmacis, paſtillis, aut malagmatibus; verùm opportunis vel monitis, vel caſtigationibus,

 quæ

quæ ſunt medicamina in ſanandis animis adhibenda. Eodem pacto Cœnobiticus Præſul, quæ ſuæ Familiæ domeſticos vitiant, pro-ut res exigit, mitis aut ſeverus ſubmoveat. Eius eſt, quandiu poteſt, ſuorum ingenia placidâ primùm oratione corrigere, ut aberrantes ad recti tramitem reducat, æqui, honeſtique cu-
Sen. ibid. piditatem animis inſerat, *faciatque*, ut ait Seneca, *vitiorum odium, pretium virtutum*. Si nil hac humanitate proficiat, acriùs illos obiurget, dictis minacibus terreat, pœnarum interminatione metum extremum incutiat, facinora verbis aſperis ex-
ibid. probret. *Vltima ſupplicia* (ut idem præſtantiſſimus animorum Medicus monet) *ſceleribus ultimis ponat, ut nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit*.

Ante omnia præcipuè mentis acie diſpiciendum, & inveſtigandum eſt, quid ad curationem ſit aptiùs, ne præpoſterè adhibita medicamenta ægrum veriùs lædant, quàm ſanent. Vt enim ſummus ille Platonicus Maximus Tyrius edocet: αἱ τροφαὶ,
Max. Tyr. ſer. 7 καὶ τὰ φάρμακα, καὶ τὰ διαιτήματα, καὶ τἄλλα ὅσα τῇ τῶν ἀνθρώπων χρείᾳ
Clem. Al. ἀνακέκραται, οὐ πᾶσιν ἑξῆς ὅμοια πάντα. Et planè nonne *in Medi-*
l. 7. Strom. *cina hæreſis*, (ut Alexandrini Clementis verbis utar) nuncupanda eſſet curatio adhibita corpori nimio exempli cauſsâ hepatis, & præcordiorum calore æſtuanti, ſi Medicus imperitus calida fomenta frigidæ corporis conſtitutioni tantummo-
Caſſiod. l. dò accommodata præciperet? Non omnibus omnia proſunt.
12. Var. ep. 3. *Aegris*, inquit Caſſiodorus, *non una cauſſa ſalutis eſt. Alter cibis reficitur, alter per abſtinentiæ beneficia tenuatur. Hic lavacra mollia, ille ferrum quærit ad vulnera, & varium poſcit remedium diverſa qualitas paſſionum. Sic qui populis praeeſſe cognoſcitur, non uno conſilio præditus invenitur. Feroces diſtrictione premendi ſunt, manſueti civiliter admonendi, doloſi cautè, ſimplices ſub levitate tractandi ſunt*. Prudens Medicus, quæ altâ ſectione indigent, ſuperficie tenus non incîdit: neque in ijs, quæ molliùs ſunt tractanda ferro utitur. Præ oculis inſtaurandam ægri vegetam valetudinem habet: ut hac ille potiatur, quæ ad eam conſequendam conducunt, ſedulus admovet. Et ſiquando Ægrum inſuavia medicamina faſtidientem proſpicit, auſteriora medicamenta, cùm illis eſt opus, ſaccharo, auriq; bracteâ prudenter decipiens obtegit, amaraque pocula melle
Sen. l. 1. de Clem. c. 17. tingit, *ſanaturus remedijs fallentibus*. Si hæc fruſtra ceſſerunt, viſque pertinax morbi duriora exigat; ægri eiulatibus con-

contemtis

temtis urit, ſecat, ſauciat: Nam *morbos veteres*, *& diu auctos, niſi per aſpera, & dura coerceas*. Quia lecto decumbentem incolumem ſurgere cupit, ut voti compos fiat, nil intentatum relinquit. Porro ſi ægroti miſertus molliùs, quàm morbus poſceret, cum illo ageret, nonne lenitate improvidâ virulentam morbi ſævitiam, quàm aliàs compeſcuiſſet, latiùs debacchari, ac furere perperam ſineret? Haud aliter evenit Aſcetico Moderatori, ſi erga peccantes imprudenter miſericordem ſe præbeat, non animaduertens mala plerumque ingenia nimiâ manſuetudine depravari, quæ ſi paullò ſeveriùs tractentur, & vigent iucundiùs, & proficiunt uberiùs. Similia ſunt Veſpæ, quam ſi oleo infundas, mori, ſi aceto, reviviſcere illius perſcrutati naturam aiunt. *Tacit. l. 3. Annal.*

De ingenijs deploratis hæc loquor. Cæterùm attento Cęnobiarchæ, antequam pœnam irroget, perpendendum eſt, quomodo delicta perpetrata ſint, an ex conſilio, an frequenter, an caſu quodam, an raro, vel ſubitò, an gravi, vel levi culpâ: num per imprudentiam, ignorantiam, animi infirmitatem, à quo, contra quem. Id autem ex principijs, càuſſis, eventu, circunſtantijs, anteactâ vitâ, ætate, rerum conditione cognoſcendum, & æſtimandum eſt, ac pro eorum omnium rectâ, & prudenti dijudicatione pœna vel augenda, vel mitiganda iuxta leges, & inſtituta ex ęquo, & juſto. Num quis adhuc in primâ parte verſatur errorum, leviterque licet, frequenter nihilominus labitur? Illum Præſul primò ſecretè obiurget, increpatione deinde publicâ, ni reſipiſcat, emendet: Longiùs iam proceſſit, quàm ut poſſit verbis ad bonam frugem redigi? Ei vehementius aliquid, & quod dolens ſentiat, inurendum eſt. Validiorem Medicinam iam ſolida nequitia ſceleribus ſcelera adnectens deſiderat? Omne pœnę genus loco remedij adhibeatur. *Crudele nil efficit*, aiebat Caſſiodorus, *qui ſequitur leges*. Hę ſontes puniri iubent: ſi ergo Pręſul in ſontes animadvertit, Legibus ita iubentibus pius, & obſequens paret. Earum delectus eſt conſtans defenſor, & cuſtos: totus igitur in eo eſſe debet, ut vel adamuſſim ſerventur, vel ſaltem illarum violationem haud videatur diligere. Præterquamquod vel illæ idonea ad regendum, quę ſarta, inviolataque maneant: vel levia, & nil conferentia præcipiunt. Sed nemo, ut arbitror, tam hebetis, vel ſuperbè auda- *Caſſiod. l. 7. Var. for. 8.*

audacis erit ingenij, qui Legislatores ſanctos tacitâ ſuggillatione proſcindens aſſerat, Legum ſanctiones ad regendum parùm conducere, illaſque ideò poſſe impune violari. Et ſi-quis hæc temere blaterare ſibi probro non duceret, iudicium vetuſtatis, rationis lumen, honeſtatis decus veſanè talia effutientem, meliora ſapere docebunt: quęcunque obijciet, Sibyllæ quaſi ſint folia, Parentis Eloquentiæ Ciceronis cenſura ampliſſima citò valido ſuæ facundiæ flatu diſpellet: *Vt ex Medicina*, inquit ille, *nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis utilitatem ſpectat, quoniam eius cauſſa eſt inventa: ſic à Legibus nihil convenit arbitrari, niſi quod Rei-publicæ conducat, proficiſci; quoniam eius cauſſa ſunt comparatæ.*

Cic. 1. de Invent.

Haudquaquam diffiteor nil laudabilius, nil magno, & pręclaro viro dignius placabilitate, & clementiâ: hæc tamen ita probanda eſt, ut non omittatur iuſtitiæ minimè contemnendæ ſeveritas, ſine quâ regimen abiectè corruit. Facilè illis ignoſcatur, qui contumaces non perſtant; verùm ab erratis in bonitatem proni ſe revocare conantur. Quos monita, & increpatio benigna retinere in officio non poſſunt, ij magnitudine pœnæ, quam culpâ merentur, maleficio ſubmoveri debent.

Ipſa clementia eſt in extremè, ac deſperatè malos non eſſe clementem. Ipſos nanque reprimere, ac ſiſtere in ſuo nequitiæ curſu, eſt pro ipſis. Quemadmodum haſtilia quædam detorta, ut recta fiant, aduruntur; & cuneis adactis, non ut frangantur, ſed ut explicentur, eliduntur ſciſſione: ſic ingenia vitio, & pravitate non bona dolore corporis, animique emendanda. Sic medici, ait Sophocles.

Πικρὰν χολὴν κλύζουσι φαρμάκῳ πικρῷ.

Soph. apud Plu. ἐν τῷ περὶ τῆς εὐθυμίας.

Medicamenta minus valida, vel parum congrua non expellunt humorem noxium, ſed movent. Correctio imbecillis improbitatem non fugat, ſed adauget. Vermes è dulcore, & bellarijs nati, non niſi amarioribus pelluntur pharmacis. Simile in ingeniorum corruptelâ, quam defricare ſale aliquo dictorum oportet, aloë nonnunquam monitorum, & caſtigationum abſtergere. Hæc autem omnia ita temperanda ſunt, ut nequid nimis. In regimine quidam eſt modus, ac certi fines, quos vltra, citraque regendi norma nequit conſiſtere. Auctoritatem Regentis corrumpit, & concutit vel nimis remiſſa, vel nimis aſpera imperandi ratio. Vt in ſagittâ iaciendâ non minus

nus aberrat, qui citra ſcopum, quàm qui ultra iaculatur; ſic in regendo qui ſeveriùs, quàm pro re, aut mitiùs gubernat. Imperium malè Galba geſſit, quia, Svetonio teſte, *modò acerbior, modò remiſſior, ac negligentior, quàm conveniret Principi*. *Svet. in Galba c. 14.* Rectâ viâ incedendum: vaga & inſtabilis exerratio ſine modò culpanda. Bis noxius in ſe, & in ſuos, qui nimiâ facilitate ſubditis omnem reverentiam excutit, peccandique præbet licentiam, quæ una ianua eſt, & aditus ád omne ſcelus. Exoſculor illam aureis litteris inſcribendam, menti penitus commendandam, & ſæpè Cænobitarum Præfectis memoriâ retractandam ſententiam, quam appoſitè ad hanc rem ſcriptam reliquit Ariſtoteles, ille humanæ Sapientiæ promuſcondus, ὁ τῆς φύσεως θαῦμα in ſuis Politicis præceptionibus: Η' γὰρ ἐξουσία τοῦ πράττειν ὅ, τί ἂν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάςῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον. *Ariſt. l. 6. Polit. c. 4.* Veriſſimum idem adſtruit Ariſtoteli adſtipulatus, experientiâ huius rei locupletiſſimus teſtis Romanorum eloquentiſſimus Tullius his cedro dignis verbis: *Quotuſquiſque reperietur, qui impunitate propoſita abſtinere poſſit iniuria? Impunitas peccandi maxima eſt illecebra*. *Cic. 3. offic.* Vbi pœnæ formido mentibus deceſſit, paullatim adeò vitia creſcunt, ut contagione peſtiferâ invadant animos, difficultate ſummâ, ni occurratur principijs, fermè deſperatâ valetudine ſanandos. Facilè itur ad culpas, ubi nemo peccantes à delictis arcet: neque enim res ardua eſt illas perpetrare. Præceps eſt ad ſcelus via, nulluſque magni flagitij labor. Mollior, quàm par ſit, Rector contemnitur, contemtuque ſubditis effrænibus in quodlibet prolabendi facinus via pervia nullo impedimento, vel obiectu patet. Etenim

Nemo ſatis credit tantum delinquere, quantum *Iuv. Sat. 14. v. 234.*
Permittas: adeò indulgent ſibi latius ipſi.

Quantæ ſit Regimini fraudi impudens hæc effrontium licentia, vel hoc uno perſpicuum, innocuos nimirum, vitæ integros, ac ſceleris puros pravis malorum exemplis innocentiâ periclitari. Vt hi eripiantur à diſcrimine, in quo verſantur, *in ipſis initijs comprimendus exceſſus eſt, ne fœda imitatio, quaſi turpis ſcabies reliquos comprehendat*. *Caſſiod. l. 4 Var. Ep. 15.*

Rectores eâdem præditos mente eſſe decet, quâ Legislatores ipſos. Cùm autem his nil antiquius fuerit, quàm ut amoveantur vitia, accerſantur virtutes, ideò ne, quàm ij optâbunt, ſecus

ſecus fiat, locus peccatis omninò eſt interdicendus. Vt Rector facilius id præſtet, quantum auctoritatis, tantundem ſalutis iura in eo poſuerunt. Adhæc eius accedat voluntas, & morbi vel arreptâ fugâ ſtatim abſcedent, vel ſaltem mitius preſſorum mentes cruciabunt. Tetigit rem non acu, (quod dici ſolet) ſed acie, ſed acumine mentis ille Sapientum vel Delphici oraculi teſtimonio ſapientiſſimus Socrates apud Platonem in Gorgiâ: Κακίας ψυχῆς ἀπαλλάττεται ὁ δίκην διδούς Qui beneficium tantum in ſuos, cùm poteſt, conferre negligit, illorum gaudere ægritudine, vitiorumque amans, & ſubditorum tyrannus eos diro premi iugo deteſtandâ crudelitate indecorè ſinere planè videtur. Nimis autem abſurdum eſt, ut ille cui legum commiſſa cuſtodia, & ſubditorum credita ſalus, à recto deflectens, ius omne, faſque proculcans, vitiorum truculentæ dominationi ſuos proterendos tradat. Hac equidem perverſitate fit, ut omnia humana, divinaque confundantur, auctoritate præpoſterâ ſcelera robur inveniant, virtuteſque neglectæ indecorè contabeſcant. Ijs, qui ſibi ipſis ſupinâ Moderatoris oſcitantiâ relinquuntur, nihil eſt procacius. Ex licentiâ creſcit cuique audacia liberrimè, perfrictâque fronte patrandi facinora. Quare non ſolùm minoris haberi Præſulis auctoritas incipit, ſed omninò vileſcit. Sic aſſueſcunt ſubditi in eundem palam obniti, effronteſque ab eius iuſſis protervâ temeritate diſcedunt. Cænobitarum Præfectus, ſi velut auriga, qui equos, quâ libet, currere imperitus ſinit, illis

Plato in Gorgia.

Dat libertatem, totas effudit habenas
Curriculo, quem ſi revoces, ſubſiſtere neſcit,
Et te contemto rapitur, metiſque relictis.

Iuv. Sat. 14. v. 231.

Amnes, ni aggeribus intercluſi, vi extra alveum transfundi prohibeantur, per campos liberè vagantes obvia quæque obruunt: & poſtea nonniſi ingentibus laboribus, irrito etiam interdum eventu, inundantium aquarum furor, impetuſque retunditur. Haud aliter vitioſi, ſi tantiſper inemendati ſuo ſe regant arbitrio, Rectorum deſidiâ facti refractarij, leges pudore abiecto conculcant, ac veluti effrænes equi ſeſſorem aſperrimè patientes, operoſè ad obſequium, quod iam dedidicerunt, revocantur. Summâ igitur curâ priuſquam peccata adoleſcant, in ipſo ſtatim exortu elidantur, ne augeatur morbus morâ præſidij, & periculum extendatur dilatione remedij. In corpore

excre-

excreſcentibus morbis læſio debacchari permittitur , cùm medicina differtur . In regimine omnia peſſum eunt , ni diſtrictione feſtinâ puniantur flagitia . *Pietatis genus eſt coërcere infantiam criminum , ne iuveneſcat augmentis .* Mollities propterea omnis à Moderatore ableganda , quod ni fiat , noxij arbitratu ſuo viventes , præterquamquod omnia conturbant , etiam inſontes ad indecoram æmulationem alliciunt . Ne iſta in Cœnobiticis familijs unquam accidant , ſit Præſulis perditorum temeritati reſiſtere , improbos caſtigare , niſuque omni revocare à flagitijs . Ita leges ſtabiliet , nutanſque regimen firmabit , nec malè audiet intempeſtivâ erga ſceleratos , & inſanabiles miſericordiâ , quæ trux eſt crudelitas erga bonos . His nanque plurimùm nocet , quicunque pepercerit malis : Deique iſta iuſtiſſimè abominantis in ſe iram laceſſit . Reminiſcatur acris illius ſententiæ in Achabum latæ , quia Benadadum Syriæ Regem Dei Populo infeſtum , meritâ mulctare pœnâ , ut iuſſus erat , neglexit : *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua , erit anima tua pro anima eius , & populus tuus pro populo eius .* Num quis ſeveritatem in ſontes procaces renuit exercere , quia illorum miſeret? *Anus , & mulierculæ ſunt ,* ait Seneca , *quæ lacrymis nocentiſſimorum moventur .* Num illi unius improbi morbus , quàm aliorum omnium ſalus carior? Crudelis caritas , quæ ut unum malè ſervet , plurimis affert perniciem ! Diſcat à medicis medicus . Nonne illi membrum putrefactum excîdunt , atque in totum eradicant , ne aliam corporis partem labefactare poſſit ? Præſul pariter ſi cæteros ſuos eſſe ſalvos , & incolumes exoptat , perditiſſimos homines extirpet , ne corruptus integro , violatus caſto labem aſpergat . Nonne in corpore ſiquid eiuſmodi eſt , quod reliquo corpori minetur exitium , uri , ac ſecari patimur , quamvis membrorum unum , vel alterum pereat ? In Cœnobitico ſimiliter corpore , ut ſalvum totum fiat , quidquid eſt peſtiferum amputetur . Si ulceribus ferro , & igne amovendis , benigna fomenta , & acopa , ne ijs afflictus doleat , adhibeantur , illa moleſtiori ægroti detrimento augeſcunt . *Medicus ,* inquit Ambroſius , *ſi ſerpentis interius inveniat vulneris cicatricem , cùm debeat reſecare ulceris vitium , ne latiùs ſerpat ; tamen à ſecandi , urendique propoſito lacrymis inflexus ægroti , medicamentis tegat , quod ferro aperiendum fuit : nonne iſta inutilis miſericordia eſt , ſi propter brevem inciſionis , vel exuſtionis dolorem*

Caſſiod. l. 3. Var. Ep. 39.

Idem l. 5. Ep. 35.

2. Reg. c. 20. n. 40.

Sen. l. 2. de Clem. c. 5.

Ambr. ſer. 8. in Pſal. 118.

corpus omne tabeſcat, vitæ uſus intereat?

Moribus conclamati ita affecti ſunt, ut miti ſecum brachio agi nolint, & ſeriùs lenitatem requirant, poſtquam ipſi ſuis flagitijs armârunt ſeveritatem. Qui pluries humanitate abutitur, pertinaxque inverecundè ruere in vetita errata pergit, illaque eiurare verbis correctus recuſat, commiſſa ex merito luat. Etenim *non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.* (C ſſiod. l. 4. p. 30.) Rigida, & immota iuſtitia hunc miſericordiâ impudenter abuſum coërceat; aliter ſi acerba hæc functio, ex quâ regiminis, & ſubditorum ſalus pendet, omittatur, Rectoris imprudenter oberrantis auctoritas apertè flaceſſit, idemque ſe veniâ indigno reatu obſtringit. Culpâ non vacat ille, qui nil inauſum ſive ſceleris, ſive doli relinquentem, faſque omne temerantem indebitâ dignatur clementiâ. Criminis eiuſdem conſcium, & participem ſe oſtendit, ſi turpi miſericordiâ motus impium vel excuſat, vel tegit, ac dum poteſt, ut in melius vitam vertat, moribus renovatis, quâcunque ratione non cogit. Paucis verbis ad rem, & appoſitè Tertullianus: (Tert. l. 1. adu. Mar.) *In cuius manu eſt quid, ne fiat, eius iam deputatur, cùm iam fit.* Nec eſt cur quis miſericordiæ pallio iuſtitiæ violationem obtegat. Miſerationem non meretur, qui eò peccando progreſſus eſt, ut miſeratio ipſi parcendo, vel infra merita eum caſtigando, fiat ſcelus. Flagitiorum deformitate prǫvalente, exiguus, vel nullus miſericordię locus.

Animadvertendum tamen eſt, nullum animal moroſius eſſe, nullum maiori arte tractandum, quàm homo. Nonnullos interdum videas, quos ſi paullò ſeveriùs, quàm ſibi mereri videantur, ob errata vel obiurges, vel punias, dum emendationem ſperas, veſanâ rabie correptos nequiores evadere. Cum horum vitijs leniter potius, quàm ſeverè luctandum. Quid refert quâ viâ ſanetur æger, dum perſanetur? Si ergo in illis emendandis blanda clementia proficit, rigida ſeveritas actum agit, verbis humanis corripiantur, ne acrioribus minis, & rigidioribus factis acerbentur. Non præſit ſolùm homo homini, ſed etiam proſit: proderit autem, ſi cum ijs, qui non adeò impudenter, nec obſtinatâ peccant malitiâ, & in rectum à naturâ geniti facilè ſanabilibus morbis ęgrotant, mitiùs aget: cum pertinacibus in malo, eorum tantùm ſalutis cauſsà, nullo motus odio, vel iracundiâ ſeveriùs. Illis Cœnobiticus Antiſtes Patrem

trem ſe præbeat, iudicem minacem, & aſperum exuens, ut benevolâ dulcedine mulcens faciat *obiurgationem laudatione gratiorem*. Cum his ita innocentiſſimâ, & incorruptâ ſeveritate ſe gerat, ut ſuum leges vigorem ſervent; Si quos leviter in crimina prolapſos non magnâ difficultate ad relictam virtutis ſemitam reducibiles norit, blandimentis emendet: nam ut aqua ligno, aut lævi, & polito lapide ducentis digitos haud ægrè ſequitur; ſic illi ſuaves increpationes comiter emendantium. Quorum igitur indolem ita compertam habet, ac intus & in cute novit, ut à rectitudine devios mores deſueſcant, blandè arguat. Sic illi peccatis, quæ forſitan ſeveritate coacti non deſeruiſſent, libentiùs indolebunt. *Gre. Naz. Orat de Pace.*

Peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataque fortiùs urget
Imperioſa quies. *Claud. de Conſul. Manlij.*

Et quia exempla ex vetere memoriâ, & monimentis ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis, plurimùm ſolent & auctoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum, huc provoco. Lucius Cinna, ſive ut mavult Dio, Gn. Cornelius, inſidias Auguſto in Gallijs moranti ſtruxerat: memor hic cædium, quas proſcriptionis tempore patraverat, anteactam crudelitatem, quâ peſſimè audierat, execratus, animo ab ulterioribus ſupplicijs abhorrebat. Verùm de proprio ſollicitus periculo volvebat mente, non eſſe tutum, nullas exigere pœnas de eo, qui ſibi moliebatur necem. An diſſimularet? Aſt alij ex tam facili oſcitantiâ ſimilia tentandi ſine metu anſam arriperent. An tanti ſceleris reo benignus, & clemens parceret? Quid ſi paulliſper ſepoſitâ perduellionis intentione, poſtea captatâ occaſione iterum idem aggrederetur facinus? Et in Montibus Veſuvio, ac Ætnâ ignis intervalla ſua habet; ſed cùm deſævijſſe creditur, redit. Rurſus anceps, an Gn. Pompeij Nepotem, hoc detracto, nobilem adoleſcentem perderet, decernere morabatur. Poſt Proſcriptionis tempora in eo totus erat, ut clementiæ exempla ederet non vulgaria; num ideò iandiu intermiſſa ſupplicia repeteret, incertus hærebat. Intra ſe talia volventem interpellavit tandem Livia uxor; *Admittis inquit, muliebre conſilium? Fac quod Medici ſolent, qui ubi uſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profeciſti: nunc tenta, quomodo tibi cedat Clementia.* Nec putes *Sen. l. 1 de Clem. c. 8.*

id à me dici, quaſi nefarijs, ac ſceleſtis parcendum ſemper, & paſſim citra delectum exiſtimem: non enim ignoro, iniquos, eos præſertim, de quorum actum eſt incolumitate, tollendos è medio eſſe, non ſecus ac eas partes corporis, quibus ob morbi pertinaciam lenes manus incaſſum Medici afferunt. Aliter autem ſentio de cęteris, qui adoleſcentiæ, vel ignorantię imprudenti quodam impetu ducti peccârunt. Hi minori difficultate reſipiſcunt. Hos clementia, quæ deliquerunt, dediſcere melius docet. Ita naturâ ſunt comparati, ut eâ facilitate, quâ *Dio. Epit. in Auguſt.* ruunt in ſcelera, eâdem recedant. Quid plura? Καὶ μοι γὰρ δοκεῖ πολλῷ πλείω φιλανθρωπίᾳ ἤ τινι ὠμότητι κατορθοῦσθαι. Hæc, aliaque plura monenti alacer paruit: omniaque prout ſuggeſſerat uxor, ex animi ſententiâ confecit.

Hinc latè patet illorum error, qui regendi auctoritatem in eo tantùm ſitam eſſe volunt, ut minacibus oculis, corrugatâ fronte, contractis ſupercilijs, horrido vultu, ad formidinem compoſito aſpectu, aſſiduis minis, non intermiſſis pœnis ſine delectu ſæviat. Ii planè non hominis imperantis, aſt monſtri tyrannicè ferocientis imaginem veriùs formant. Sit Rectori, nec abnuo, in Capitones præfractè contumaces ingenium ferox, quo terrorem injiciat, eoſque à nequitiâ abſterreat; ſed placida benignitas, quâ ſibi gratiam ab alijs conciliet, non deſit. Mixtâ cum oris elegantiâ gravitate alliciat æquè ac perterrefaciat, ut viſum è re fuerit, ſpectantium oculos, venuſtate ſpectabilis, auſteritate metuendus. Eâ ratione amorem ſibi à bonis parabit, à malis terrorem extorquebit, Apollini parum abſimilis, cuius *Macrob. l.1.Satur.* ſimulacrum ſiniſtrâ ſagittas, & arcum geſtabat apud Veteres, ut contorqueret in noxios, Gratias dexterâ ſuſtinebat, ut muneraretur inſontes. In erratis præſertim non magni momenti, nunquam nimis acrem ſe præbeat; ſed quietiùs agens leni ſuavitate errantem corripiat. *In levioribus cauſſis*, ut Marcellus Iu- *L.Perſp.ÿ ff.de pæn.* riſconſultus monet, *proniores ad lenitatem Iudices eſſe debent*. Hæc nanq; interdum longè valentior ad obtinendum quod quis vult quàm ſeveritas. Sic Iulius Agricola, Scriptore Tacito, ſo- *Tacit.in vit. Agricolæ.* lebat *parvis peccatis veniam, magnis ſeveritatem commodare: nec pœna ſemper; ſed ſæpius pœnitentia contentus eſſe*. Nihil eſt tàm deforme, quàm ad ſummum imperium acerbitatem naturæ ineptè adiungere. Moderator homini ſit homo, non Lupus. Ne vitia ſimul & homines oderit; ſed hoc amore proſequens ſer-

vet,

vet, illa inſectatus eliminet. Ac ſi-quando hæc eijcere quin & illi doleant, non poteſt, ſaltem dolores induſtrius aliquomodo mitiget. Id ita in more poſitum apud ſapientes eſt, ut fruſtra ſit in fidem teſtes vocare. Ne tamen apud imperitos vana iſta, aut vilia videantur auctoritate deſtituta, teſtem omni exceptione maiorem dabo. Hic eſt Fabius ille Maximus, qui cunctando Rem Romanam, Annibale infeſto, penè collapſam reſtituit. Cum Militem quendam Marſum inter ſuæ gentis Nobiles facilè principem nonnullos Sociorum Milites ad defectionem hortatum deprehendiſſet, ut ab inceptis removeret, laudibus, præmijſque cumulauit: quibus eum adeò ſibi devinxit, vt inpoſterum fideliſſimum, & promtiſſimum habuerit. Facti huius rationem reddidit: Abſurdum ſibi videri, ſi feras, Moloſſos, & venaticos Canes familiaritate, ac blanditijs reddamus cicures faciliùs, quàm catenis, & verberibus: homines feroces, ac cerebroſos humanitate nobis conciliare negligamus; ſed acerbiores in illos ſimus, quàm Agricolæ in rubos, aliaſque infœcundas arbores, quas non protinus excîdunt, ſed ut fructuum feraces evadant, inſitione miteſcere docent. Vt Medicus omnium periculum facit, priuſquam ad ſectionem, aut uſtionem accedat; ita Fabius Marſum illum à proditione, quam agitabat, revocavit, duriora tentaturus, ſi nullus inde obveniſſet profectus. Ad hęc primùm manus non admovit, ne adhuc revocabilem ad obſequium illius animum aſperans, pertinaciùs in conceptâ nequitiâ firmaret. Eodem prorſus modo Equorum domitores non crebris flagellis eos ferocientes exterrent: fierent enim formidoloſi, & contùmaces: verùm (quod plurimum natura petit) eos tactu blandiente, & popyſmis permulcent. Equiſoni hoc unum cordi hæret, ut illi perdomiti contumaciam exuant. Si voti compos blandè illos tractans fiat, obſequentes verberibus non excarnificat. Eorum natura feritate ſpolianda domitorem minimè infeſtum deſiderat. Qui domandi artem non callent, ſecus faciunt, nunquam impetraturi quod optant. Ex his ad regendos homines peti poteſt exemplum. Haud graviùs imperandum homini, quàm imperatur animalibus brutis rationis expertibus. Homo denique ſui compos, monitis inſtructus, ni callida malitia obſtet, à malis plerumque deſciſcit. Ab incunabulis innatam boni cupidinem ſecum affert. Quando à recto aberrat, malum boni veſte indutum ſeſe intellectui of-

Plut. in Fabio.

ferens, illum decipit. Moderatoris iccircò eſt malo decipienti doloſi cultûs tegmina detrahere, illudque propriâ horrendum deformitate ſubditorum obtutui obijcere. Id muneris obeunti ſummoperè cavendum ab auſterâ functione. Nam hæc interdum primùm tentata mali deformem aſpectum acerbitate veriùs tegens, quàm manifeſtans, illud amabilius facit. Tunc Rector animis odium mali ingeret, cùm eos non aſperè, ſed blandâ quâdam ſuavitate monens (ni perditiſſimi ſecus facere compellant) ad boni amorem virtutis pulchritudine illectos hortabitur. Hæc autem ſine errore præſtare, non-niſi regendi peritiſſimi poſſunt. Hi, quia cuiuſque ingenium exploratum, & compertum habent, unicuique idonea indoli proponunt. In rectum vertendis ingenijs dexteritate congruà prudentes ſuccurrunt. Dummodo peccantes probi evadant, omnium quæ apta videantur, ſapientes periculum faciunt, à mitioribus ad aſperiora progredientes. Apud Romanos imperandi ſapientiſſimos Magiſtros, ſi-quando Milites dicto audientes eſſe, aut fidem ſervare nollent, aut ſigna amitterent, aut hoſti turpiter cederent, aut extra ordinem pugnarent, aut ab acie fugâ ſe furtim ſubducerent, ad manum erat decimatio, ſanguinis miſſio, exauctoratio, hordeo ſolummodo veſci, ære dirui, ſtando cibum, potumque capere, extra caſtra ſeorſim tendere, portare ceſpites, in Principijs caſtrorum ante Imperatoris tribunal capite plecti, aliaque huiuſmodi, quæ pro delicti ratione irrogabantur.

Ex Lipſi, de Militia Romana.

In ſanandis ingenijs medicamine morbis fugandis opportuno uti oportet, ne præpoſtera curatio vexatæ valetudinis damnum augeat. Lenitas cùm ſatis morbis mederi poteſt, ſeveritati anteponatur. Hanc docti animorum Medici nunquam adhibent, niſi aliter fieri ſanandi ratio prohibeat. Non ignari quantoperè præſtet, ægrum ſine ullo eius incommodo remedijs lenibus, quàm acribus ſanare, his omiſſis, ægritudinem illis fugant. Meta, in quam collimant, eſt ægroti ſalus: ſi hæc dulci reparari pharmaco poteſt, cur ad amara confugiendum? Quapropter illi commendatione digni, qui nonniſi coacti ſeveros iuſtè præſeferunt. Imperitiam ſuam detegit, qui medicaminibus à morbo alienis, hunc expellere ſibi ſuadet.. Quia Medicus quidam imperitus, & ſtupidus, Acceſias nomine cuidam pedum dolore laboranti medendo

do-

dolorem auxit, publicâ ignominiâ notatus adagio locum dedit: *Α'κεσίας ἰάσατο*. Ne idem animorum Medico accidat, caveat ne in medendo erret. Si aliqui mollibus remedijs melius ſanantur, ea ne abijciat. Nam & *periti Medici*, è Seleucienſi Baſilio, *tunc plus de arte cient admirationis, non cùm ferro, & igne in belli modum vim mali domant; ſed cùm lenibus pharmacis affectæ parti adulantes, ægrum ſcitè perſanant*. Experientiâ identidem teſtatum videmus, vulnera; quæ fuerant primò ſuavi medicamento ſanabilia, ferro aſperata, immedicabilia effecta. Sunt quidam, qui à vitiatâ valetudine ad ſalutem vergentes, ſi, quàm par ſit, ſeveriùs mulctentur, hoc ipſo in deterius collabuntur. De Murænis apud Plinium quorundam eſt ſententia, qui *ferunt aceti guſtu præcipuè eas in rabiem agi*. Quamplures, quos merito maiores pœnas perſolvere ſeveritas cogit, iccircò efferati vitam, & mores in peius vertunt. Nemo, qui ſapiat, unquam probabit nimiam Corbulonis ſeveritatem, ne dicam immanem ſævitiam, à quo, *Militem, quia vallum non accinctus, atque alium, quia pugione tantùm accinctus foderet, morte punitos*, Tacitus ſcribit. Nimis etiam atrox, & ſævum ingenium oſtendit Imperator nomine, & re Severus, dum Dione teſte, habens Orationem in Senatu, Syllæ, Marij, & Auguſti trucem acerbitatem rem tutiſſimam cumulavit laudibus: modeſtiam autem, & humanitatem Pompeij, atque Cæſaris, ut rem illis ipſis pernicioſam depreſſit. *Severitas niſi ſe intra congruentes nocentium pœnas coërceat, fit ſæva crudelitas*. Etenim iuſtitiâ ſine clementia ſævitia eſt: ſicut clementia ſine iuſtitiâ, vilis eſt ſocordia, ſeu veriùs lethifera gubernationis peſtis. Benignitas itaque temperet ſeveritatem, hæc benignitatem commendet: & ſic altera decus invicem alteri acceptum referat. Vtraque Cœnobitico Præſuli prudenti quâdam electione amplectenda. Regat in eo iuſtitiæ vigor clementiam, hæc verò iuſtitiæ vigorem ornet, ut nec iuſtitia ſit rigida, nec ſoluta clementia. Legum decorem, maieſtatemque ita colat, ut ab earum præſcripto contra fas diſcedere, vel flagitium aliquod impunitum iniquè dimittere, inexpiabili probro ſibi verti putet; ſolerter tamen iterum iterumque perpendens, num connivere interdum ſit ſatius, quàm intempeſtivis remedijs delicta accendere.

Baſil. Seleuc. Orat. 30.

Plin. l. 9. c. 23.

Tacit. l. 2. Annal.

Dio. Epit. in Severo.

Lact. l. 6. div. Inſt. c. 14.

Deum Cœnobitarum Præfectus imitetur, penes quem

neque

Chryſol. ſer. 145. *neque pietas ſine iuſtitia eſt, neque ſine pietate iuſtitia. Virtutes ſi ſeparatæ fuerint, dilabuntur.* Illas autem in Deo nemo vnquam diſiunctas inveniet. Nam, ut ait Cyprianus Martyr, Cyp. ſerm. de Lapis. *Deus quantum Patris pietate indulgens ſemper, & bonus eſt, tantò Iudicis maieſtate metuendus eſt.* Hæretica vox eſt Marcionis, Tert. contra Marc. l. 1. c. 24. *quòd Deus de ſola bonitate cenſendus ſit.* Ne tam probroſa Deo nota inuratur, pluribus contra Marcionem Tertullianus egit, multa ſuo more acutè, & eruditè congerens, quibus adſtruit, ibid. c. 26. *perverſiſſimum Deum oſtendi in ipſo præconio ſolitariæ bonitatis.* Remotâ ſiquidem à Deo iuſtitiâ, rerum humanarum moderatio confuſa labaſcit. Dei equidem ſumma bonitas, & clementia; at hæc expers iuſtitiæ ſupremum illud Numen prorſus dedecet. Philo. l. de Opif. Mūdi. Eſto Deus ſit *ſuopte ingenio clemens*, ut ait Philo, ideſt ingenioſè pius; at iuſtus etiam eſt. Qui enim Deus eſt, ſit etiam ſummè iuſtus oportet. Bonitas in Deo ſine iuſtitiâ divinæ eſſet Præfecturæ labefactatio: etenim amotâ iuſtitiâ licentia peccandi ſine ulla pœnæ formidine audacter graſſatur. Deus ille à Marcione fictus erat unicè bonus. Porrò *quis iſte Deus*, reponit ſcitè Tertullianus, *ut homo ab illo malus fiat?* Hermogenis Deum tantùm miſericordem aſſerentis iſta ſunt deliramenta, & ſomnia. Ecquis tam prava ſentientibus non iraſcatur? Profectò ſi horum delirantium Hæreticorum vera eſſet ſententia, maxima Deo irrogaretur iniuria. Ter. adv. Her. c. 10. *Ecce enim etſi non Auctor, ſed Aſſentator mali invenitur Deus.* Quoniam ſola clementia, quæ iuſtitiæ ſocia non iungitur, humanæ adulatur malitiæ, iubetque, dum non vetat, fas omne abrumpere. Ter. adv. Marc. c. 17 *Balbutientis adhuc benignitatis* puerile Deus ſpecimen daret, ſi meritas à ſontibus exigere pœnas negligeret. Peccandi ſecuritas divinæ eſt bonitatis contemtus. Homines enim nequiſſimi Tert. de pœnit. c. 6. *certi indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & commeatum ſibi faciunt delinquendi.* Ni malorum improbitas metu pœnæ coërcita in quodlibet facinus prohiberetur agi, nefas omne quàm immaniſſimum inverecundè auderet. Quia Deus placabilis, & æquus non ſtatim fulminibus delicta perſequitur, ſed miſericors lento gradu ad ſui vindictam procedit, Tert. de pœnit. c. 7. *redundantia clementiæ cœleſtis, libidinem facit humanæ temeritatis.* Nec advertunt impij, Deum aliquantiſper ſcelera clementer tolerantem tarditatem ſupplicij gravitate compenſare. Miſericordia, & Iuſtitia eandem in ſacris

Biblio-

Bibliorum litteris nomenclaturam nonnumquam habere peritiores Interpretes notant. Quare Divus Hieronymus illud Pſalmi 32. *Diligit Miſericordiam*, *&* *Iudicium:* צדקה ומשפט aliter ac vulgatus Interpres legit, nimirum *Iuſtitiam*, *&* *Iudicium*. Cùm igitur Divinam Gubernationem regiminis perfectiſſimum exemplar fateri cogamur, eandem regendi rationem ab hominibus ſervandam, nemo inficiabitur. *Cæleſti ſenſu ſine bonitate æquitas, ſine æquitate bonitas non habetur*. Clementia, & Iuſtitia in Deo manus invicem iungunt. Nunquam benè regitur, ni clementia, cùm prodeſt, primas ſibi partes vindicet: nulloque ex eâ profectu obveniente, ſeveritas æquo ſucceſſionis iure ſceptrum capeſſat. Clementiâ contemtâ, ni ſeveritas deſpectum Regentis decus confeſtim reparet, regimen eam brevi iacturam facit, ut ſępenumero exitio extremo pateat. Navis vel unicâ rimâ fatiſcens, paullatim fluctibus clam ſubrepentibus aditum parat. Id ſi Nauclerus contemnat, ſe, & alios in naufragij diſcrimen adducit. Regimen peſſundat, vel ſemel imprudenter clementiæ intempeſtivæ tegmine omninò impunita reliquiſſe ſubiectorum peccata. Hæc via eſt, quam ſibi quorundam pervicax contumacia ſtruit, ut vel Rectorem Moderationis ſolio detrudant, vel ſaltem eius auctoritate minutâ indecoro deſpectui exponant. *Chryſol. ſer. 145.*

Seclusâ dominationis, legumque pernicie, benignitas regnet: cùm hæc damnum affert, aliam Moderator rationem ineat. Cyrus, Herodoto referente, Ionibus, & Æolibus, qui pacis conditiones prius conſtanter repudiatas repoſcebant, narravit Apologum Tibicinis, qui ad alliciendos piſces tibiâ fruſtra cecinerat, immiſsâ in mare poſtea ſagenâ multos pertraxerat, quos cùm inter retia palpitantes conſpexiſſet: *Temperate, inquit, iam à ſaltationibus, quia me canente noluiſtis ſaltare*. Huc eâ lepidâ narratione reſpiciebat Cyrus, ut populos illos proprio factos periculo ſerò ſapientes, improvidæ moræ latenter argueret. Pacem antea humaniter oblatam recusârant: è re ſuâ poſtea videntes illam amplecti, quam parvi fecerant, precibus irritis, quia ſeris, flagitabant. Meritò ideò Cyrus aptâ fabellâ intempeſtivè reſipiſcentes eluſit. Spreta benignitas parit non iniuriâ ſeveritatem. Illâ utendum, donec deſpectui non evadat obnoxia: hæc exercen- *Herod. l. 1. Hiſt.*

da, cùm malè ſana temeritas in ſe iuſtè illam laceſſit. Quod Andrijs Themiſtocles Legatus pecuniam petiturus propoſuit, idem ſuis Regens exhibeat. Ille, cùm ad Andrios veniſſet, duobus ſe comitatum potentiſſimis Numinibus, videlicet Suadâ, & Violentiâ, acceſſiſſe ad Vrbem pro concione dixit. Hæc duo Themiſtoclis Numina Πειθῶ, καὶ βίαν, adhibere oportet, ut qui illius ſuavitatem contemſerint, huius ſtimulos ſentiant. Quod à volentibus illa non impetrabit, hæc vel ab invitis extorquebit. Medici, cùm mitiorum medicaminum efficaciam irritam proſpiciunt, ad acriora confugiunt. *Eſt planè quaſi ſævitia*, aiebat Tertullianus, *Medicina de ſcalpello, deque cauterio, de ſinapis incendio; non tamen ſecari, inuri, & extendi, morderique iccircò malum, quia dolores utiles adfert. Horrorem operis fructus excuſat. Vlulans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus Medici, poſtmodum eaſdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & ſævas iam negabit.* Amaritudine pharmaci, tormentiſque cæteris Medicinæ haud inſipientem Medicus demeretur ægrotum, ſibique benevolum cruciatibus facit. Pueri, & parvuli ſunt, qui cùm Medicinam, & Medicum neceſſariam inciſionem, & ignem afferentem vident, ululantes aufugiunt, ſatius arbitrati per morbidi corporis marcidam perire putredinem, quàm brevem dolorem ferendo ſequuturâ incolumitate potiri. Qui mente ſaniore ſunt, dummodo afflictam valetudinem firmam ſibi reſtitui nôrint, agnoſcentes peius eſſe continuo morbo teneri, quàm ſemel incidi, nec ignem, nec ferrum reformidant. Qui phreneſi laborant, irrident, ac verberant ſuos Medicos. Qui eò ſtultitiæ venerunt, ut adſpirare ad bonam mentem nolint, emendatores oderunt. Hi vel inviti geminâ ægritudine levandi. Morbos animi, quos lenis humanitatis Medicina non fugat, amarum pharmacum ſeveritatis expellet. Tametſi æger doleat, nulla dolorum habeatur ratio. Benevola eſt caritas non verò trux crudelitas, quæ neceſſariâ, ſed amicâ lanienâ ſanitatem affert. Cotys Rex Thracum ſeveritatem eius hiſce verbis imperitè obiurganti: Μανία τοῦτ' ἐςι, καὶ οὐ βασιλεία, prudenter, bellèque reſpondit: Ἀλλ' ἡ ἐμὴ μανία τοὺς ἀρχομένους σώφρονας ποιεῖ. Nil refert quâ viâ ægrotus convaleſcat, dummodò vegetus, & incolumis evadat. Eius recuperanda ſalus pluris, quàm brevi duraturi dolores æſtimanda. Eâ tamen

Plut. in Them.

Ter. adv. Gnoſticos, c. 5.

Stob. de Regno.

men emendator utatur induſtriâ, ut illorum moleſtias, ne nimis acriter urgeant, dulcis quædam benignitas, dum fieri poteſt, ſuaviter temperet; ut etſi quodammodo mordeant, & exacerbent, ſubditum nihilominus amarâ dulcedine mulceant. Hac arte inſuavia condiat, ut amaritudine non exaſperet., ſed animos ſuavitate alliciat. *Si Medici ſalubres, ſed voluptate carentes cibos blandioribus alloquijs proſequuntur, quantò magis* illum decet, parum aliter gratas caſtigationes comitate delinire. Plin. l. 1 ep. 8. In fidibus ſi-quid diſcrepat, fidicen per impetum iracundum non abrumpit, ſed quietè reducit ad concentum. Fila tunc frangit, cum nodis, vel ineptitudine abſona raucè ſtridula obſtrepunt, nulloque pacto, ut ſonum gratum edant, poteſt effici. In gubernatione nulla res magis componit animos, qui probitati nuncium prorſus non remiſerunt, quàm humanitas. Hæc illos præceptis faciles, & obnoxios citiùs quàm ſeveritas acerba reddit, quæ ſi ſola exſerat aculeum, ac ſola exerceat imperium, periclitatur ipſa, & corrumpit auctoritatem, cuius vis omnis ſita eſt in conſenſu obtemperantium. Manſuetudo ſeveritati comes iungenda, ut hanc rigidam illa remiſſa temperet. Hoc ingenium regendi eſt: hæc Rectoris peritia. Mediocritatem ſic auream diligens, habebitur ſapiens. Stultorum eſt vitatis vitijs in contraria currere. Vt hanc Cœnobiarcha notam effugiat, caveat ſolers, ne ad unum ex extremis abſque neceſſitate declinet. Medio tutiſſimus ibit. Nam, ut Ammianus Marcellinus Valentiniani ſævitiam perſtringens ait: *Regenti, imperium omnia nimia, velut prærupti ſcopuli ſunt devitanda*. Amm. Marc. l. 30 Hiſt. Nil Regimini perniciosius poteſt accidere, quàm cùm vel ſeveritas enormis poteſtate abutitur, vel (quod eſt deterius) ſegnis omninò clementia malos non corripit. Culpandi proinde, qui alteram ab alterâ ſegregem ſine ratione patiuntur. Ante omnia *perſpiciendum eſt iudicanti, ne-quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quàm cauſſa depoſcit*. L. Perſp. ÿ ff. de pæn. Ita nemo de Regente queri poterit: nemo Frontonis Conſulis queſtus repetens verè dicet: *Κακὸν μὲν εἶναι αὐτοκράτορα ἔχειν. ἐφ' οὗ μηδενὶ μηδὲν ἔξεστι ποιεῖν χεῖρον δὲ ἐφ' οὗ πᾶσι πάντα*. Dio. Epit. in Nerva. Claudius Imperator in propriæ domûs negotijs hebes, & cœcus, in aliorum prudens, & videns Meherdatem ad Regnum Parthorum avitum proficiſcentem his præceptis inſtruxit: *Vt non dominationem, & ſervos; ſed Recto-* Tacit. l. 12 Annal.

 rem,

rem, & Cives cogitaret, clementiamque, ac iuſtitiam capeſſeret. Cum vtrâque fœdus prudenti quodam delectu Rector iaciat. Neutra illi repudianda, cùm ad regimen confert. Sic Medicus, dum ægroto lenia medicamina profutura novit, his illi medetur. Si ab iſtis nullum ægro levamen ſperat, alia duriora invenit. Cùm utriſque eſt opus, utraque iungit. Sic morbus pellendus exigit. Secus fieri ars medendi non ſinit. Morbum fovere diceretur, ſi aliter curationem curationem aggrederetur ægroti. Eodem modò qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem ſubminiſtrat, nec comprimit delicta ille, ſed nutrit. Hoc ſenſu aſſerere non dubito, tria
Thucid. illa Cleonis apud Thucididem ἀξυμφορώτατα τῇ ἀρχῇ οἶκτον, καὶ
l.3. ἡδονὴν λόγον, καὶ ἐπιείκειαν. Similiter qui totus in id incumbit, ut ſeveritate fines æquitatis tranſiliat, nihilò minori detrimento Regi-
Caſſiod. l. mini officit. In hoc Moderationis cardo vertitur, *ne* Moderator *acri-*
1. Var. ep. *ter vindicando æſtimetur nimius, aut leviter agendo putetur impro-*
28. *vidus*. Hæc Cœnobitico-Medicæ ſcientię peritia. Huius rei veritas ex his, quæ diximus, ita manifeſta apparet, ut aliâ probationum luce non indigeat. Eam ipſam naturæ iam voce promulgatam, ſapientum placitis abundè ſancitam, uſu tandem, & probatâ conſuetudine laudatam adeò iam dicta firmarunt, ut ſi rationes alias vocarem in confirmationis ſubſidium, innumerabilia conſectari non ſine moleſtæ prolixitatis notâ meritò dicerer. Porrò quamvis dicta omnia vel deeſſent, vel imbecilla viſa propoſitum aſſertum ſatis non fulcirent, Vos Aud; quos tacitis ſuſurris, apertiſque à me ſtare ſuffragijs video, mihi omnium inſtar eſſe arbitror. Ita intimos mentium, quæ annuunt, affectus, vultus enunciant, ut in ſpeculo frontium manifeſtè imago extet animorum. Quod ſi quis adhuc tot inconcuſſis teſtimonijs refragari pervicaciter audeat, in eas unicâ probatione anguſtias conijciam, ut manus victum dare compellam. Vos teſtes P.P. appello. Perpendat quiſque iam ſummâ cum gloriâ peractum à R. Adm. P. F. IO: PETRO BORTOLETTI S. TH. MAG., ac SERENISS. huius noſtræ REIPVBLICÆ VENETÆ CONSVLTORE, PROVINCIÆ huius REGIMEN; & ſi aliter, ac omnes boni ſentiunt, opinabitur, conſcientia ſaltem reluctans multoque illum rubore ſuffundens vel invitum, quæ dixi probare, noſtraſque acclamationes, quibus tanti PATRIS incly-
ta

ta celebramus facta, repetere, & congeminare vi urgebit. Quæcunque verbis incomtè diſſerui, ab egregijs noſtri Præſulis geſtis didiciſſe me fateor. Ille ingenio ſterilitate laboranti uberrimam faciendo ſuffecit dicendi ſegetem. Plura mecum tacitus agitaveram, cùm interea multa volventi, nunquam voto ſaltem concipere ſuccurrit, vel paullulum ſimilia his, quæ tam præclarè geſſit. Dixiſſe ſatis, inde liquere nobis illum Moderatorem divinitus conſtitutum, in quo ſimul omnes virtutes vigeant, quæ ſimul in omnibus prædicantur. Nec quis putet aſſentandi gratiâ me iſta loqui: Oratio enim mea tantùm à ſpecie adulationis abeſt, quantum à neceſſitate, quam noſtri Præſulis Modeſtia prohibet, non indicit. Plin.l.7. Præterquamquod *honeſtè factis veritas ſufficit*. Hæc loquor non p.33. quia putem illi per me aliquid acceſſurum: me ſi-quidem clam non eſt, eius laudibus nil adijci poſſe ſi dixero; ſed ne patiar officio meo deceſſurum aliquid, quod reverâ deerit, ſi tacuero. Videar alijs, qui hæc penitus haud norunt, in eius laudibus nimis effuſus; ego tamen conſcientiâ ſubnixus meâ nimis parcus. Nec vos P.P. aliter ſenſuros credo, qui non ignoratis, quæ illum virtutum ornamenta condecorent. Omnia illi ſumma excelſa indoles contulit. Ad hoc à naturâ formatum exiſtimo, ut alijs præeſſet, alioſque gubernationis edoceret normam, medendi animis artem inſtrueret, Poſteriſque veluti è ſpeculâ, quod ſequantur, lumen oſtenderet. Siquis noſtrûm (quemadmodum homines ſumus) à recti viâ nonnihil devius aliò, quàm quò eundum erat, iter unquam inflexit, errantem non diſſolutâ clementiâ reduxit, deinceps non erraturum, ne humanitati eodem mûnere functura ſeveritas, quam blandis erranti minis intentabat, ſuccederet. Peritiſſimus animorum Medicus languentibus, ſi qui fuerunt, (nam paucos vidimus, quia eius providâ ſedulitate interclusus eſt morbis ferè omnis acceſſus) benignâ manu opem tulit, ſeveriore laturus, ſi decremento, vel fugâ ægritudines properè ſibi non conſuluiſſent.

Talem te, Pater ſpectatiſſime, fuiſſe oportuit, qui me præceptis factorum inſignibus dicere, alios facere erudires. Præclara, & inſolita docendi Methodus, ex quâ duplex, nec vulgaris profectus obvênit. Te finxiſſe Deus Optimus Maximus eo conſilio videtur; ut haberent Noſtri, à quo diſcerent, quem

imi-

imitarentur, cuius ſimiles eſſe vellent. Quamquam eò es provectus, ut ſecundùm te aliqui forſitan eſſe, pares nequaquam: aliqui propiùs aſſequi, prævertere autem non poſſint. Eâ de cauſsâ invenietur ęgrè aliquis tam tui, tam ignarus ſui, ut locum ipſum poſt te concupiſcat. Faciliùs eſt, ut aliquis ſucceſſor tuus eſſe poſſit, quàm ut velit. Quis comparari tibi non reformidet? Nimis oneroſum eſt optimo Cœnobiarchæ ſuccedere. Quamobrem ni omnes vererentur, ne Provincia Rectoris diutius expers denique collaberetur, vix aliquis eſſet, qui poſt te illam ultrò gerere vellet. Qui eam capeſſet, ne capite deſtituta corruat, id faciet. Ad hoc accedit omnium veſtrûm P.P. erga eandem affectus, qui non patiemini hanc ab illâ fieri iacturam. Huc ideò ſucceſſorem electuri conveniſtis. Hic imperaturus omnibus ex optimis deligendus omnibus. Optimum iam habitis Comitijs elegiſtis, ſimilem, ut arbitror, quem ad huius dignitatis faſtigium ſpectata inter bonos Moderatio provehat, nunc eligetis. Aliter ſentire comperta iam ſatis prudentia veſtra non ſinit. Hac exiſtimatione præſigni biennio ante iam tantâ veſtri nominis celebritate partâ ne cadatis, electioque diſſimilis degeneres factos arguat, veſtrum eſt etiamnum eâdem vos mente præditos factis oſtendere. Sic omnes veſtram in recto conſtantiam congeminatis laudibus nunquam intermorituris deprædicabunt.

DICEBAM.

Græca Latinè reddita.

Cibi, medicamenta, regulæque ipſę vivendi, cuncta demum, quæ hominum uſibus adhibentur, non eodem ordine omnia omnibus reſpondent. *Max.Tyr.*

Bilem amaram diluunt remedio amaro. *Soph.*

Facultas faciendi quod cuilibet viſum, non poteſt comprimere innatam ſingulis hominibus pravitatem. *Ariſt.*

Ab animi pravitate liberatur is, qui dat pœnas. *Plato.*

Mihi quidem videtur multò plura corrigi poſſe humanitate, & benignitate, quàm ullâ crudelitate. *Dio.*

Furor hic eſt, non regnum. At meus hic furor ſubditos ſanos reddit. *Stob.*

Malum eſſe regentem habere, ſub quo nil cuiquam liceat: deterius verò eum habere, ſub quo omnia omnibus licent. *Dio.*

Nocentiſſima regimini miſerationem, blandiloquentiam, & lenitatem. *Thucid.*

1042 8

Z

Digitized by Google